

lestissimum, suiipsius nempe cognitionem suscipiat, quousque respectu tum *speculativo* tum *practico* anniti possit, prævie disquirat, et fixos cognitionum suarum limites *critice* investiget. Hæc si ex principiis firmis fuerint disputata, palam facient, quid ad solvenda tria momenta præsidii *a facultate nostra rationali*, et quid ob naturalem eius imbecillitatem *aliunde* sit expectandum.

III. Ut in uberrima hac materia ex legibus ordinis procedamus, nosse oportet *a)* naturam facultatis cognoscentis, *b)* superstructam eidem theoriam facultatis adpetentis; *c)* quod ex indole utriusque rationis *speculativæ* nimirum et *practicæ* dimanat, magisterii altioris desiderium ac necessitatem. \*

\* Immanuelis Kantii in criticis disquisitionibus merita negare mentis ingrata turpissima nota, et viri celeberrimi philosophemata ignorare nostris temporibus summum dedecus foret. Totus illius labor ad resolvendas tres quæstiones collimat: *a)* quantum scire possimus, *b)* quid facere debeamus, *c)* quid sperare nobis liceat. Solida et undequaque cohærens materiæ tractatio plures recludit ideas aut novas, aut saltem nova luce collustratas, v. g. de ambitu et terminis facultatis nostræ cognoscitivæ, de fixo discrimine scientiam inter ac fidem, de rationis